



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133



Actenus regnaturū se crediderat Dauid
 propter uerbū dei qd' habebat, sed quan-
 tos insultus ista fides passa sit, uidimus.
 Sic enim exerceri solent corda creden-
 tium, ut saepe anteq̄ præstetur promissa, adigatur ad
 desperationem, & certe in desperatione, id est morte
 & inferis, manerent, nisi paterna dei bonitas nobis sic
 infirmitatem nostrā, & suā erga nos curā declarare
 uellet, ut discamus non in nobis, sed in ipso sperare.
 Hic autem nunc Dauid scdm̄ dei uerbū regnat, uide-
 tur cōsecutus promissa, sed hic tentatio rursus fidei
 est, ne quod cōsecutus est periculo capitis sui & suo-
 rum amittat. Quid putas eū animi habuisse, dum so-
 la tribus Iuda eum suscipiebat regem, undecim autē
 tribus regē fecerūt Isboseth filium saulis, quasi regni
 heredē, & pugnabatur contra Dauid, quasi cōtra re-
 gni inuasorem & occupatorem? Et hæc tentatio du-
 rat septem annis. Non speremus nos aliud in regno
 isto Dauidis, id est Christi, ubi alijs tentationibus de-
 functi sumus, aliæ uel pares uel maiores succedunt,
 sic interim uolente patre nostro deo, qui omnem filiū
 quē suscipit, corripit & c. Heb. 12. ex prouer. In qui-
 bus tentationibus persistere non liceret, nisi subinde
 suis cōsolationibus pater misericordiarū nos recrea-
 ret, & in suo uerbo confortaret. 2. Corinth. 1. & in
 psal. Secundum multitudinem dolorum & c. ut non

dīcam, quod hoc penè in omnibus psalmis canitur. Sic & Dauid nō sine consolatione dei est, dum oppugnatus uidet paulatim aduersarios deficere, se uero proficere & indies fieri maiorem, ut uides hic usque ad caput. 6. Quemadmodū & superiore tentatione uidit nihil Saulem proficere, & ubiq; sibi manū dei presentē, etiā ubi maxime timebat aliquando absentem. Nobis itaq; ista exempla descripta sunt, ut in fide dei uirtutem & benignitatem discamus & c.

Consuluit. Sine uerbo dei nihil tentat, cui ita fedit, ut statim dimissa Siceleg omnia transferat ad suos cum omni suo exercitu & populo.

Vixerunt. Ter unctus legitur Dauid in regē. Primū à Samuele iussu dei, quo declarauit Samuel, hunc esse regem à deo electum. Secundo à Iuda. Tertio à toto Israële, cap. 5. quo declararunt se hunc suscipere regē. Nihil enim aliud illa externa unctio hominibus significabat. Ceterū de unctioe diximus libro primo. Hebron ciuitas est, cui multa oppida adiacebant, olim ciuitas gigantū, & edificata septē annis ante Zoan ciuitatem Aegypti, Num. 13. ubi sepulti iacent Abraham, Isaac, & Iacob, Gen. 49. ubi erat spelunca illa duplex, Gen. 23. Vt illic inciperet Christi regnum in terris, ubi quiescebant, quibus facta erant promissiones. Moyses ad illam terram ingredi non potuit, ne lex uideretur irritas facere dei

promissiones &c. Vide quantus campus hic esset reuelandorū dei mysteriorū. Et nunciatū.] Obiter hoc interseritur, ut amplius declaretur, quo animo fuerit in inimicū, de quo supra. Abner &c.] Hæc est illa tentatio Dauidis, de qua diximus. Isboseth iste ignauus fuisse declaratur, quia infra ca. 3. Abner scribitur regere domū Saul. Hinc & cū alijs ante neque cōputatur, neq; in prælio scribitur fuisse cū reliquis fratribus. Neq; uero ætas prætexi potest, qui hic. 40. annos natus dicitur. Egressus. Non solū uidit Dauid aliū regem constitui super Benjamin & oēm Israël, sed etiā contra se pugnari.

Porro.] Temeritas principū & ducū exercitus describitur, qui nihil pietatis pensi habent, quibus homicidia lusus sunt. Experiamur, inquiunt, uires nostrorum, uter habeat fortiores &c. Et ortū.] Propter Dauidē istā uictoriā dedit deus, & præterea reliquas uictorias per Ioab, optimū quidem iudicio hominum ducem, cæterū coram deo impiū, ut alijs locis dicemus. Iste Asaël infra capite 23. & 1. Paral. 11. inter fortes Dauidis laudatur uir optimus, sed dū sua uelocitate & fortitudine fidit, perit. Exemplum ne de dei donis præsumamus.

Et leuare. Timebat regnum quandoq; uenturum ad Dauidem, cuius Ioab erat militiæ princeps, ut eius uerba indicant infra capite tertio.

Periculosa. vergi. vna salus uictis & c. Verū
in Heb. est, An ignoras nouissimum esse amarū? q. d.
Et tuis malū curabis, si perrexeris, licet uinces, tamen
cruenta erit uictoria.

Viuuī dominus. Sine dubio hoc erat manda-
tum à Dauide, non ut quærerent fratrum necem, sed
se defenderēt, dum aliud non licebat. & c.

Præter Abner.] Nobilis iste & optimus erat, ica-
circo cum cæteris non nominatur, & eius sepultura
describitur.

CAPVT III.



Aucis in principio huius capituli eleganter
descripta est fors utriusq; regni Saulis
& Dauidis, id est hypocrisis & ueris-
tatis. Concertatio est, illud uidetur for-
tius, hoc infirmius, sed istud paulatim in deo proficit,
illud deficit. Præterea historia describitur, quod Ab-
ner princeps militiæ Isobeth, iratus domino suo regi,
omnem Israëlem uult adducere ad Dauidis imperiū,
ad quem omnia agnoscit pertinere. Hic Dauid gau-
det, quod sine effusione sanguinis ita ueniat ad se to-
tum regnum, reputans istam esse domini uoluntatem
& prouidentiam. Sed quemadmodum in psal. scribitur,
Domini reprobant consilia principum, carnalia
ista erant, dominus autem ita uoluit Dauidem regem
fieri totius Israëlis, ut hoc ipsum nulli posset referri